

P.11992



19011992000000

Prof. Dr. K. Twardowski

11992

POLSKA AKADEMJA UMIEJĘTNOŚCI  
WYDZIAŁ FILOLOGICZNY. — ROZPRAWY T. LX. Nr. 2.

CASIMIRUS MORAWSKI

# DE SCRIPTORIBUS ROMANIS

III ET IV POST CHR. N. SAECULI OBSERVATIONES

(De Arnobio — Lactantio — Ambrosio — Ammiano Marcellino — Claudiano)

W KRAKOWIE

NAKŁADEM POLSKIEJ AKADEMJI UMIEJĘTNOŚCI

SKŁADY GŁÓWNE: G. GEBETHNER I SPÓŁKA W KRAKOWIE

GEBETHNER I WOLFF W WARSZAWIE

1921.



H-118827

POLSKA AKADEMJA UMIEJĘTNOŚCI  
WYDZIAŁ FILOLOGICZNY. — ROZPRAWY T. LX. Nr. 2.

---

CASIMIRUS MORAWSKI

11992

# DE SCRIPTORIBUS ROMANIS

III ET IV POST CHR. N. SAECULI OBSERVATIONES

(De Arnobio — Lactantio — Ambrosio — Ammiano Marcellino — Claudiano)

Prof. Dr. K. Twardowski

W KRAKOWIE

NAKŁADEM POLSKIEJ AKADEMJI UMIEJĘTNOŚCI

SKŁADY GŁÓWNE: G. GEBETHNER I SPÓŁKA W KRAKOWIE

GEBETHNER I WOLFF W WARSZAWIE

1921.



11992



Połączone Biblioteki WFIS UW, IFiS PAN i PTF

**P.11992**



19011992000000

K  
19.12.99  
A 000

Drukarnia Uniwersytetu Jagiellońskiego pod zarządem J. Filipowskiego.

Casimirus Morawski.

## De scriptoribus romanis III et IV post Chr. n. saeculi observationes.

(De Arnobio — Lactantio — Ambrosio — Ammiano Marcellino — Claudiano).

(Rzecz przedstawiona na posiedzeniu Wydz. Filol. w kwietniu r. 1921).

---

### 1.

Quod Lactantius in suis libellis et praecipue in amplissimo opere, *Divinae institutiones* inscripto, ne verbo quidem Arnobii, sui magistri, mentionem fecerit neque unquam in affinis materiis tractandis Arnobii libros *Adversus nationes* diserte laudaverit, est profecto quod miremur. At fuerunt, qui hoc silentium prorsus simpliciter et primo obtutu plausibili observatione explicare conati essent, scilicet asseverando, Lactantium, ab Africa et urbe Roma longe remotum, cum *Nicomediae tractatibus* suis et dissertationibus elaborandis operam navaret, nondum assecutum esse cognitionem operis Arnobiani, quod rhetor Siccensis sub ipsum finem saeculi tertii et quarti initio in Africa composuisset et publici iuris fecisset. Mihi tamen ratio, quae inter utrumque scriptorem intercedat atque silentium illud Lactantii alio potius modo definiri posse et explanari videtur. Nam in *Institutionibus* Lactantii non desunt concertationes litterariae quibus scriptor quin ad doctrinas et sententias a magistro suo expositas et prolatas respexerit, mea dumtaxat opinione fere dubitari nequit. Quippe etenim singulares aliquot et a fide Christianorum communi abhorrentes Arnobii opiniones tantopere videntur stomachum et bilem Lactantii commovisse, ut eos errores sive apertius seu verbis magis tectis impugnaret. Quo loco igitur (*div. inst.* 1, 19) doctrinam refutat, quae



praeter summum deum alias inferiores divinitates agnovit, verbis: *dicet aliquis* videtur designasse Arnobium in opere *Adversus nationes* 1, 28 talia statuentem. Porro dum alio loco Lactantius acrius refellit eorum opiniones qui placita Christianorum de animarum immortalitate ex parte subruebant, „impias... mediam quandam gerere inter immortalem mortalemque naturam“ (div. inst. 7, 20, 9) contententes, itidem Arnobii singularem prorsus opinionem fortasse insectatus est, qui in ampla de animabus dissertatione, secundo libro *adversus nationes* inserta, probare conatus est, nonnullas animas mortales esse et „qualitatis mediae“. Cf. imprimis 2, 35. Maxime vero iis partibus, in quibus uterque scriptor de homine eiusque natura disputavit, aetior et vera ratio inter eos intercedens evidenter illustratur. Arnobius quidem nimius est et immoderatus in hominis miseria describenda et deploranda; brevi vero antea summus theologiae magister Origenes similes de imbecillitate humana fuderat querellas. „Animal miserum et supervacuum“ appellatur homo ab Arnobio (2, 39). At Lactantius prorsus diversam professus opinionem summis laudibus praestantiam naturae humanae celebravit. Qua in parte sui operis videtur mihi Arnobium potissimum perstrinxisse, praesertim cum haec proferret 2, 1, 2: gestio... singularis dei adserere maiestatem..., suscipiens... officium revocandi homines a pravis itineribus et in gratiam secum ipsos reducendi, ne se, ut quidam philosophi faciunt, tanto opere despiciant neve se infirmos et supervacuos putent.

Si tamen his locis Arnobium a Lactantio perstrictum esse affirmabimus, necesse est explicemus, quamobrem Lactantius nomen illius praeterierit et alto presserit silentio. Cuius quidem rei causa in propatulo esse mihi videtur; nimirum opiniones Arnobii penitus abhorrebant a doctrinis apud Christianos probatis, quin immo redolebant haereseos pravitatem. Notum autem est christianos scriptores summopere cavisse ab eius modi auctoribus laudandis, qui in errores aut errorum suspicionem incurrissent et in doctrinis quae tertio saeculo exeunte iam firmabantur, haesitationes quasdam et dubitationes adhuc tolerassent. Disertum eius generis silentium apud Cyprianum observare poteris qui licet Tertulliani ferventissimus exstiterit admirator et saepius eius libellos in usum suum converterit, prorsus tamen reticuit nomen scriptoris, qui parum sincerus christianae doctrinae assertor putabatur. Ex eadem porro ratione id fluxit, quod nonnulli scriptores christianae fidei addicti antiquarum litterarum monumenta celebrare non audebant, aut quotiescumque ad carmina veterum seu tractatus provocabant, verecundabantur quodammodo et nomina auctorum omittebant. Ita quidem saepius apud Ambrosium Vergilius sub vocula „quidam“ delitescit (cf. de Abraham 1, 9, 82; 2, 1, 4), Cicero autem verbis „quidam saecularium doctor“ designatur (de virginibus 3, 5, 25). At Lactantio eiusmodi cautio et verecundia nequaquam profuerunt. Nam



dum praecedenti tergo manticam spectat, in laqueum, quem alteri tetendit, ipse incidit, ita ut nomen eius una cum Arnobiano in decreto, quod Gelasio perperam attribuitur, nota censoria praeditum deprehendamus; quippe uterque scriptor parum integer fidei praeceptor posterioris aevi arbitris visus est.

## 2.

Ceteroquin Lactantius ab eiusmodi circumspectione et anxietate in aestimandis scriptoribus antiquis erat alienus. Nam et amorem elegantiarum, quibus litterae Romanorum excellebant, ingenue professus est, neque religioni duxit libellos antiquos excerpere auctoresque eorum nominatim appellare. Negari tamen non potest etiam apud Lactantium vel in praestantissimo opere et praecipuo, quo institutiones divinas exposuerit, naevos quosdam et maculas inveniri, quibus adpersis a recto loquendi tramite aberraverit et indulserit suae aetatis stilo et sermoni. Imprimis vero quartus illius operis liber tali neglegentia offendit; in quo Lactantius cum „de vera sapientia et religione“ dissereret, Christum huius sapientiae auctorem probare conatus est et omnia vaticinia, quae Christi adventum praedixissent, collegit. Eo igitur ipso, quod multi loci ex sacra scriptura excerpti hic laudantur, cum Lactantius alias disputationes suas exemplis potissimum ex litteris gentilium exscriptis adornarit, liber hic a reliquis differt. Sed differt quoque sermone minus polito. Ita quidem particulam quod, cuius usum apud posterioris aevi scriptores latius serpsisse constat, ita ut non solum alias particulas sed etiam pervulgatam accusativi cum infinitivo constructionem summoeret, multo crebrius in hoc quarto quam in reliquis sex institutionum libris meliore stilo elaboratis apparere observavi. Deprehendimus autem vitiosum huius particulae usum non ita multis locis apud Lactantium, ut in opusculo de ira dei 1, 6; 1, 7; 2, 2; 12, 5; 21, 2; in epitoma 10, 3; 32, 1; 32, 5; 39, 4; 39, 6; 59, 3; 64, 4; de mortibus persecutorum 17, 6. In divinis porro institutionibus undeviginti adnotavi exempla, quorum maiorem numerum videlicet tredecim in libro quarto (4, 12, 6; 12, 15; 14, 18; 17, 7; 17, 11; 18, 2; 20, 10; 24, 1; 24, 6; 26, 9; 26, 11; 26, 31; 30, 2). — Parcius quoque admisit Lactantius insolens futurum, quod compositum appellare possumus, quodque per infinitivum cum verbo habendi exprimitur atque apud Christianos potissimum magis magisque increbrescebat, unde in linguas romanenses manavit. Cuius quidem locutionis historiam Thielmannus in Archiv fuer latein. Lexikographie volumine secundo accuratius enarravit, recte id admonens, in antiquissimis huius futuri periphrastici exemplis infinitivum passivi usurpari. Non plus igitur quam tria huius locutionis exempla apud Lactantium invenimus, quodque adnotatione dignum est, omnia in

quarto institutionum libro, 4, 12, 15 (indui haberet), 4, 20, 10 (dari haberet), 4, 30, 2 (cum verbo neutro: haberent exsistere). Quamvis vero unum ex his exemplis 4, 12, 15 fere ad verbum exscriptum sit ex Testimoniis Cypriani 1, 10—11 et licet insuper Lactantium inter septuaginta locos ex sacra scriptura in quartum librum translatos plus quinquaginta ex primis duobus libris Testimoniorum Cypriani hausisse constet, perperam tamen his indicibus nisus Cyprianum praecipuum huius libri Lactantiani fontem et auctorem statueres. Nequicquam enim, quod ad ipsum argumentum pertinet, similitudines inter libros Cypriani et disputationem Lactantii quaereremus. Restat ergo, ut statuamus, Lactantium quidem in quarto libro exarando Testimonia Cypriani ad manum habuisse, ceterum alius cuiusdam et ignoti scriptoris vestigia pressisse cuius sermo parum elegans stilum excerptoris infecisset. Certe enim liber hic quartus Lactantii quasdam singulares proprietates prae se fert; unde tamen eae fluxerint et cuinam auctori Lactantius summam rerum et stilum paullo neglegentiorum hic debuerit, in suspenso relinquemus difficilem quaestionem indicasse et delibasse contenti.

## 3.

Ambrosius christianarum litterarum quarti saeculi praecipuus fere cultor, rerum tamen promovendarum et animorum excitandorum magis studiosus quam gloriae litterariae aiceps „sensum naturalem et virilem“ phaleratis quos nominabat sermonibus praefendum esse ducebat et, in explicandis divinis scripturis nisi modice non admisit lenocinia scholarum. Nihilominus longe ab eo abfuit, ut ea prorsus sperneret et evitaret, utpote qui publicis imprimis orationibus populum suum instruere et commovere conatus sit. Mirae sunt igitur in sermone eius translationes, saepius nimis audentes et ab antiquorum Romanorum moderatione et sobrietate prorsus discrepantes; tales enim locutiones ut „animae nares, fenestra verborum, ventris cithara, pedes animorum, pelvis animae“ et aliae similes, profecto ad praeceps accedunt et interdum vix explicari et excusari possunt; nimirum ex assidua psalmodum et prophetarum lectione in sermonem contionatoris manarunt qui uno loco tractatus de virginitate 18, 111, ut sibi venia daretur et eiusmodi figmenta condonarentur expresse petiit; legimus ibi haec: ac ne forte philosophica alicui aut poetica usurpasse videamur, ut currus, equos, alas animae diceremus ..., domesticis nos usos subsidiis propheticae series lectionis ostendit.... Praeterea tamen aliis locis genuini scholarum fetus deerrarunt in cathedram praedicatoris christiani. Praecipue vero id attendendum esse puto, quomodo τῶτοι quidam declamatorum in sermones Ambrosii recepti integri fere remanserint mutatis saltem nominibus et personis. Etenim scriptor, qui



pro antiquis Romanis patriarchas veteris testamenti „maiores nostros“ nuncupare non dubitavit (De officiis), substituit quoque in declamationibus rhetoricis nomina sanctae scripturae pro heroibus antiquitatis. Cum igitur rhetores profani nimii fuissent in fortitudine Laconis Othryadae, Cynegiri Atheniensis aut Deciorum celebranda, Ambrosius fratres Machabaeos summis extulit laudibus et illum Eleazarum, qui cum elephanto conflictatus, in cuius dorso regem adversariorum consedissee suspicabatur, mole cadentis bestiae elisus est et suffocatus (I. I Machab. 6, 43—46). In tractatu igitur de officiis 1, 40, 207 haec Ambrosius de obitu Eleazari ausus est: cuius ruina inclusus magis quam oppressus, suo est sepultus triumpho... En habes flosculum quem christiano scriptori non sine invidia et zelo eiusmodi deliciarum assectatores avidius surripissent. Cf. similes rhetorum lusus in meo observationum de rhett. lat. auctario Eos V et Parallelismo in dissertt. acad. Crac. T. XXXIV. — Ipsi vero Ambrosio argutius dictum summopere arrisisse inde conicias, quod in epistula 19, 33, in qua fusius Samsonis fata exposita invenies et quomodo ille ruderibus domus ab ipso concussae obrutus esset et necatus, enarratum est, scriptor exitum viri fortissimi prorsus similibus verbis expressit: cadaveribus hostium pressus et humatus est, proprio tectus triumpho.

Etiam vero in aliis argumentis tractandis Ambrosium dum vestigiis rhetorum insistit tantummodo novas personas declamantes induxisse animadvertimus. Quodsi scholae rhetorum saepius invectivis in divitum mores et iniquitates laudibusque pauperum personabant (cf. Controvv. Senecae 2, 1; 5, 5; 10, 1), Ambrosius eandem materiam in tractatu suo de Nabothae (in editione Schenkeli II, 467) amplius explicuit atque coloribus ex scholis desumptis exornavit; dives igitur Achab, qui cupidine vicinae excitatus vineae miserum Nabothem tandem obruncari iussit atque ex altera parte pauper agelli sui defensor in cothurnos assurgunt et acris contentionibus inter sese decertant. Ita quidem scholastici fetus in Christianorum quoque orationes ingruerunt et virili sermoni adiecerunt declamatorum fucos et ornamenta.

## 4.

Ubi vero semel hos rhetorum fetus attigimus et in flosculorum scholae aream delati sumus, placuit aliquot observationes ad eandem spectantes materiam ilico subiungere. — Itaque quo rebus enarrandis vis quaedam maior et insolitum pondus accresceret et lectores vel auditores interdum admiratione aut horrore afficerentur, solebant scriptores veritatem audentioribus figmentis augere et exaggerare. Quare iam Herodotus religioni non duxit aliquotiens memoriae prode amnes a numerosis Per-

sarum copiis epotos prorsus exaruisse. Simili quoque modo alii dum strages atroces bellorum aut funera pestilentiarum aut immanitates cruciatuum describebant, aëra iaculis, arbores cadaveribus comburendis, carnificibus membra torquenda, aequora denique immensis classibus vix suffecisse contendebant<sup>1)</sup>. Praecipue vero ad depingendos expeditionis Xerxae ficticios apparatus eiusmodi fabulae contexebantur, quarum conspectum uberrimum apud Senecam de benef. 6, 31 invenimus: „alius vix illi rerum naturam sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra, explicandis exercitus copiis campestria, vix patere caelum satis ad emittenda omni manu tela“. — Ex rhetorum autem officinis translati sunt eiusmodi flosculi in carmina, quin immo in historiam, quae tamquam carmen solutum iudiciis antiquitatis putabatur. Si igitur rhetor Cornelius Hispanus (Sen. Controvv. 1, 8, 3) de homine vulneribus lacerato haec commentus est: „nullum iam tibi vulnus nisi per cicatricem imprimi potest“ et ex declamatorum asseclis e. g. Hieronymus quasi ad scholasticam materiam sese exercens similia protulit (Epist. 1, 1, 6): „nec erat novo vulneri locus“, non mirum est quod aequum putavit Ammianus Marcellinus horroris augendi causa in tormentis hominum describendis talia a rhetoribus mutuari. Legimus igitur apud eum (14, 9, 6) de Eusebio iussu Caesaris Galli suppliciiis affecto haec: qui ita evisceratus est ut cruciatibus membra deessent, porro de homine qui ex mandato imperatoris Valentis combustus sit (29, 1, 44): cum poenis non sufficerent membra. — Atque adeo idem scriptor in rebus exponendis, quibus ipse interfuit quaeque perpeusus est, non abstinuit ab eiusmodi fucis. Cum enim enarraret (18, 8, 12) quomodo Parthos fugiens cum exiguo equitum numero undique ab hostibus insistentibus circumventus esset, talia excogitavit: Immobiles stetimus ita conferti, ut caesorum cadavera multitudine fulta reperire ruendi spatium nusquam possent. Quo loco genuinas rhetorum strophas a rerum gestarum scriptore narrationi inculcatas statim agnosces. Nam apud Silium Italicum haec legimus Pun. 4, 553

nec artatis locus est in morte cadendi

et 9, 321

amisere ictus spatium nec morte peracta  
artatis cecidisse licet.

Cf. denique ibid. 8, 659.

## 5.

Nulla ex vitio ingeniorum et morum descriptiones apud rerum gestarum scriptores romanos saepius laborant, quam eo, quod homines in

<sup>1)</sup> Cf. Ovid. Met. 7, 613.



scholis superlativorum abusui nimis assuefacti et vitia et virtutes modum excedere asseverabant tamquam si duo tantummodo discrimina inter mortales statui possent, ex una quidem parte viri prorsus perversi, ex altera vero universis praediti virtutibus. Subtiliori enim iudicio et sententiae duae tantummodo distinctiones nequaquam sufficere poterant ad diversitates animorum recte aestimandas. Tacitus igitur qui fere primus Romanorum indoles et ingenia hominum accuratius excutere conatus est et altius in ea penetrare, nimium vituperandi et laudandi studium pariter repudiando haec de imperatore Galba protulit Hist. 1, 49: „ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus“, eiusque vestigiis insistentes qui postea res gestas conscripserunt, vocabulo *medius* saepius usi sunt ad designandos mortales, qui *senza infamia e senza lodo* neque notas severas neque gloriam insignem meriti sunt. Occurrit igitur haec vox apud Vopiscum, cuius opuscula sane futilia alii ad Constantini, alii ad Theodosii aetatem relegant, sed praemunitio vel potius excusatio quadam delenita. in vita Cari 3: veniamus ad Carum, medium ut ita dixerim virum et inter bonos magis quam inter malos principes collocandum. Tum vero in breviario Eutropii, post annum 364 composito, bis idem deprehenditur, ut 7, 13, 1 de imperatore Claudio usurpatum: hic *medie* imperavit, multa gerens tranquille atque moderate, quaedam crudeliter et insulse. Similia quoque leguntur de Constantino ibid. 10, 7, 1: vir primo imperii tempore optimis principibus, ultimo mediis comparandus. — Quem locum sine dubio Ammianus Marcellinus expressit, cum 21, 16, 8 talia de Constantio proferret: „cum esset in negotiis aliis principibus mediis comparandus“. Eutropium autem ante oculos Ammiani versatum esse eo fidentius contenderim, quod ex aliis quoque congruentiis apud utrumque scriptorem conspicuis quin Eutropius passim excerptus sit ab Ammiano fere dubitari nequit. Cf. Ammiani 15, 5, 18 et Eutrop. 9, 26; Ammian. 14, 11, 10 et Eutrop. 9, 24. — Ceterum Ammianus etiam in alia operis sui particula similibus verbis indolem Constantii definivit, 14, 9, 2 haec professus: Constantium cetera medium principem, sed e. q. s. Itaque adiectivum hoc procedente saeculo quarto tralaticio ut ita dixerim promptuario vocabulorum insertum est, quibus mores imperatorum a scriptoribus determinarentur. Qua voce voluerunt ii mediocritatem quandam ingeniorum et virtutum designare a perfectione perinde atque a perversitate remotam. Prorsus autem diversus sensus inerat in vocula *μεσότης* ab Aristotele saepius usitata, qua philosophus eam quae media nuncupatur via et auream mediocritatem designare et commendare voluit. Hanc quidem amplexus est Horatius et ii graeci sapientes, qui tamquam primariam vivendi legem edixerunt: *μεσότητες ἀρεταί υπερβολαί κακίαι*.



## 6.

Miro casu evenit, ut fere ultimi scriptores, qui tempore labantis imperii romani latino sermone de eius fati et vicissitudinibus disertius scripsissent, aut extremis laudibus potentiam iamiam ruituram celebrassent, fuerint homines graecae originis, ut Ammianus Antiochenus, Claudianus Alexandrinus. Quae quidem res vim et auctoritatem imperii, quod hominum diversarum gentium officia et studia sibi vindicabat, luculentissime demonstrat. At postquam illud imperium inde a quarto saeculo in duas praecipue partes discerptum est et nova Roma a Constantino condita alterum caput orbi romano adiectum est, metuedum profecto erat, ne hominum animi simul discerperentur et imprimis graecae et orientalis plagae incolae a Roma aversi ad novam urbem mentes et affectus potius inclinarent. Nihilominus tamen antiqua Romae auctoritas integra fere permansit et tum temporis quoque vim quasi magicam exercebat subiugabatque obsequia, ita ut scriptores, qui vel acerrimis oculis vitia Romanorum perspexissent et acerbissimis verbis exprobrassent, Romam tamen tamquam semper victuram summis laudibus praedicarent. Quae quidem res eo maiorem admirationem movet, quod Constantinus infesto certe erga Romam instinctus consilio alteram illam urbem dicitur fundasse et amplificasse; nam et Eutropius 10, 8, 1 diserte testatur, eum Constantinopolim fovisse, „ut Romae aemulam faceret“ et a Zosimo (2, 30) aliisque edocemur, quantis sumptibus et aedificiis novum caput imperii ille exornare conatus sit. Ita quidem senatoribus romanis persuadebatur omnimodo, ut novam urbem domicilio suo deligerent.

Quamvis tamen studia hominum saeculi post Chr. quarti propensa fuissent ad amplectendos cultus, doctrinas, superstitiones ex oriente manantes, necesse est concedamus Ammianum Marcellinum illustrissimum huius aevi rerum gestarum scriptorem utramque partem imperii aequa trutina pensitasse neque antiquis aut recentibus occaecatum splendoribus alterius utrius urbis vitia et defectus silentio praetermississe. Severum quidem sese praestitit censorem in moribus procerum romanorum et plebeculae civitatis exagitandis atque 14, 6 et 28, 4 superbiae optimatum, insano eorum luxui, vestium cultui ambitioso, mensarum impendiis, animorum socordiae, quae homines eruditos quasi infaustos et inutiles et tanquam venena vitabat (cf. 28, 4, 14) atque bibliothecas sepulcrorum ritu claudebat in perpetuum, nimio denique aleae et venandi studio acerbissimas notas inussit, non magis autem percipit plebi, otiosae et desidi, cui circus maximus habitaculum esset et contio.

Attamen ex altera parte videmus eum antiquae et „victurae dum erunt homines“ (14, 6, 3) Romae et venerabilis urbis (14, 6, 5) fama



quasi captum et „patrum reverendam cum auctoritate canitiem populique romani nomen circumspectum et verecundum“ (14. 6, 6) singulari cum pietate praedicare. Atque adeo Romam „imperii virtutumque omnium larem“ nuncupare non dubitavit (16, 10, 13). In aliis porro operis sui particulis proposuit nobis Ammianus conspectum praecipuarum terrarum, quae ad orientem spectant et celebravit Antiochiam „mundo cognitam civitatem“ (14, 8, 8), Phoenicem „regionem plenam gratiarum et venustatis“ (14. 8. 9), Palaestinam „cultis abundantem terris et nitidis“ (14, 8, 11), Alexandriam „verticem omnium civitatum“, cuius auram, splendida aedificia, studia litterarum summis extulit laudibus (22, 16, 7). De Constantinopoli denique in libro 22<sup>do</sup> fusius egit, quo Juliani imperatoris res gestas enarrandas aggressus est. Quo loco urbem, recenti ornatu insignitam utpote „incrementis maximis fultam“ disertius laudavit (22, 9, 2). Julianus etenim „natus... illic diligebat eam ut genitalem patriam et colebat“. In eodem tamen libro inseruit Ammianus, cum enarraret, quomodo Julianus ex palatio omnes supervacaneos et luxu affluentes aulicos removisset, gravissimam in aulam constantinopolitanam invectivam, utpote spadonum gregibus emollitis refertam, qui „vitiatorum omnium seminarium“ essent (22, 4, 1). Nam malum hoc, tempore Constantini coercitum et repressum et ideo minus importunum, filio Constantio imperante licentius grassari coepit atque in comitatu principis haud ita parvis fruebatur gratia et honore. In universum tamen Ammianus id praesertim cavens, ne silentio aut mendacio opus veritatem professum corrumpere, eundem animum, quem in aestimandis Christianis exhibuit, etiam cum de primariis urbibus et de partibus imperii loqueretur, servavit, neutrius partis supra modum studiosus. Atque historiae „discurrere per negotiorum celsitudines adsuetae“ addictus, alto supercilio minutias et rumusculos, qui in aulis imprimis conveniunt et serpunt, contemptim despexit. Monendum est praeterea excursu illo contra spadones orientalis aulae potius imperatoris Constantii mores Ammianum perstringere voluisse, in quem tamquam Juliani adversarium satis infesto fuisset animo, quam ipsam urbem, alterum et novum caput imperii.

Cum tamen post excessum Theodosii (395) sub ipsum quarti saeculi finem imperium in duas partes haud ambigua iam constitutione divisum esset, discidium quoque inter utramque partem auctum est et contentiones exacerbatae. Quae imprimis eo excitabantur, quod Stilicho qui Romae apud Honorium gubernacula tenebat, auctoritatem suam etiam in orientis imperio observari voluit atque constanter asseverabat, a Theodosio mandatum esse, ut adulescentes filii, Honorius et Arcadius in sua essent tutela (Zos. 5, 4 et Claudiani De tertio consul. Honorii v. 153: geminos dextra tu protege fratres). Inde igitur exoriebantur diuturnae contentiones et

controversiae; de quibus accuratius edocemur carminibus Claudiani, qui Stilichoni addictus vehementissime homines impugnavit, apud Arcadium frena imperii moderantes, praefectum praetorio Rufinum et post huius caedem praevalidum et famosum spadonem Eutropium.

Apud Graecum igitur Claudianum vestigia simultatis aemulationumque inter utramque urbem crescentium prorsus sunt manifesta. Perstrinxit poeta eoam mollitiam et Auroram „quae talia ferre gaudet“ ludibriis persecutus est (in Eutrop. 1, 427); porro non sine mordaci acerbitate incolas novae Romae „Graios Quirites“ nominavit (ibid. 2, 136). In rebus autem describendis, quae in illa aula praecipue stomachum eius moverunt adiecit votum, quod Romanorum animositatem et praestantiam prodit:

Nesciat hoc Thybris (In Eutrop. 1, 436).

Denique fusius descripsit Claudianus convivium aulicorum hominum et Eutropii assentatorum, qui in summo patriae periculo luxuriae dediti et apud mensam eunuchi congregati vanis salibus et lautioribus cibus sese oblectant dum Romam nasis aduncis suspendunt (In Eutrop. 2, 325 e. q. s.). Legimus ibi:

Juvenes venere protervi

Lascivique senes, quibus est insignis edendi  
Gloria corruptasque dapes variasse decorum,  
Qui ventrem invitant pretio traduntque palato

Quaesitos trans regna cibos quorumque profundam  
Ingluviem non Aegaeus, non alta Propontis,  
Non freta longinquis Maeotia piscibus explent.  
Vestis odoratae studium; laus maxima risum  
Per vanos movisse sales; minimeque viriles  
Munditiae, compti cultus onerique vel ipsa  
Serica. Si Chonus feriat, si Sarmata portas,  
Solliciti scaenae, Romam contemnere sueti  
Mirarique suas, quas Bosphorus obruit aedes.

Vulgatae quidem erant et decantatae eiusmodi de luxuria in dies magis magisque serpente querellae rhetorumque officinae nunquam lassabantur in elaborandis novis de hac materia declamationibus<sup>1)</sup>. Claudianus in descriptione convivii, quam modo laudavimus, Juvenalis satiram quartam potissimum imitatus est, qua aetatis Traiani poeta Domitiani cenam irrisit; praeterea tamen Ammiani Marcellini vehementes in aulam Constantii invectivas sensus ei aliquot et colores suppeditasse admodum

<sup>1)</sup> De rhetorica in satira Claudiani conspicua accuratius disserui in Commentt. Eos XXII, 1917.



est probabile. Quae enim apud Ammianum 22, 4 de Palatinorum moribus, superbia, avaritia, perjurii leguntur, eorum similia deprehendimus apud Claudianum in Rufin. 1, 220; aequae acerbis praeterea atque Claudianus verbis notaverat Ammianus 22, 4, 5 Palatinorum delicatas cenas et voracitatem haec cum indignatione professus: inter quae ingluvies et gurgites crevere praerupti conviviorum et pro victorialibus epulares triumphii ususque abundantes serici et textiles auctae sunt artes et culinarum sollicitior cura... Sequitur vero apud Ammianum descriptio flagitiorum disciplinae castrensium 22, 4, 6; item apud Claudianum post cenae Eutropii descriptionem adicitur egressio (in Eutrop. 2, 409) de militum licentia, quorum, robor „Byzantia fregit luxuries“.

Per similes igitur imagines et criminationes decurrit invectiva Claudiani atque acerrima helluonum apud Ammianum obiurgatio. Quod quidem minime est mirum praesertim cum poetam eximii rerum gestarum scriptoris opus novisse eiusque digressiones aliquotiens in usum suum convertisse alia quoque et fere certa existent indicia. Cf. de ea quaestione Birtii editionem praef. p. IX et has congruentias apud utrumque scriptorem conspicuas: Claud. In Ruf. 2, 359 et Ammian. 16, 10, 8; Claud. de cons. Stil. 1, 286 et Ammian. 16, 12, 57. — In illa tamen cenae Eutropii descriptione apud Claudianum offendimur uno loco et in versibus quos legimus 2, 327—8:

quibus est insignis edendi  
gloria corruptasque dapes variasse decorum

haeserunt viri docti, mendum aliquod in vocabulo: corruptas latere suspicati. Itaque Heinsius substituit ei lectionem: correptasque, Birtius coniecturas perpetuasque aut ructatasque proposuit, dubius tamen et haesitans. Incidit quidem mihi suspicio comparato Ammiano 22, 4, 5 (gurgites crevere praerupti conviviorum) Claudianum fortasse „praeruptasque dapes“ audentius scripsisse. Nam hoc adiectivum etiam metaphoricis sensu cum substantivis ut dominatio, audacia, avaritia consociari constat idemque fere significare atque: insolens, immoderatus. Cf. Landgrafium in Comment. ad Cic. or. pro Roscio Amer. ad § 68. Attamen re accuratius perpensa coniecturam hanc utpote temerariam repudiavi traditumque: corruptasque servandum esse opinor. Nam Claudianus etiam alio loco vocem corruptas eodem fere sensu atque pravus, luxuriosus ponere non dubitavit; cf. de consulatu Stilichonis, 2, 116:

nec te gurges corruptior aevi  
Traxit ad exemplum.

Si igitur Claudianus circa a. 395 latina sua carmina componere exorsus est, Ammianum autem fere a. 390 opus suum publicasse con-

stat, imitationes Ammianeae apud Claudianum deprehensae affatim demonstrant, quam brevi temporis spatio descriptiones Ammiani animos hominum et favorem popularem sibi conciliaverint; idem videlicet studium veritatis et eadem sinceritas, quae nobis, quamvis scriptor sensus animi insolentibus locutionibus saepius obduxerit et obscurarit, accepta sunt, captarunt quoque aequales neque minime doctum et ingeniosum poetam aevi Theodosiani.

---

---















Połączone Biblioteki WFiS UW, IFiS PAN i PTF

**P.11992**



19011992000000